

P R A E F A T I O.

Martyrum, & V. Testamenti patrum, tum ipsius B. Virginis percurriffe, in eorum contemplatione tanto gaudio perfusam, tanta suauitate delinitam, ut illos quasi coram oculis cernere & complecti videretur. an non hoc idem nobis hic planè integrum est, longè minori molestia, sumptu minimo, utilitate incōparabili, siue studiorum fructum quaras, siue meditationis materiam & pietatis. Vtrunq; te sequi velim, magis tamen hoc; ad hoc enim nati sumus, ut meditatione passionis & meritorum Christi, Christo commoriamur, & in aeternum viuamus. Quem ego tam praclarum finem & mihi ex hoc labore precor & spero, & alijs, ut adipiscantur, omni opere & conatu laborandum est. Scilicet hæc Terra illius Promissionis figura est, quam in cœlis expectamus, eò si huius cognitio non refertur, doctrina fortassis aliquid, fructus nihil habet. Sed iam ad Palaestina nostræ descriptionem redeamus.

Nomina. De nomine iam ante diximus, sed quoniam inter ipsa nomina quedam potissima sunt, de ijs iam dicamus. Est igitur notatu dignum, quod quemadmodum nomen generis tribuitur speciei, ita & hîc fiat, nisi quis malit potius è contrario.

Cananea. Nam Cananeam putarim propriè & primitus eam partem fuisse, qua distinguitur à Pheresais, lebusais & cat. postea verò totam eam terram id nomen indigetasse. De Palaestina certius dici potest, fuisse terram Philistijm, siue Philistinorum, quorum frequens mentio est in libris Regum, & omnino paucis tribubus, juda scilicet, Dan, & Simeon concludebantur. Tertium nomen Judæa erit, nam quod dicitur, Promissionis & Sancta terra, rectissimè quidem iam & verissimè semper dictum fuit, sed præterquam, quod in S. S. eorum mentio non ita sit, nescio quomodo mihi videntur potius mysteria esse & Prophetia rationem habere quàm nominis. Igitur Judæa, qua maximè communis est huius terra significatio, aut pro tota terrâ Sancta accipitur, quam Palaestinam appellari iam diximus, aut pro eiusdem terra parte tertia, Judæa in specie dicta, & tunc complectitur duas potentissimas tribus Iuda & Benjamin, qua itidem duæ sub uno Iuda, aut etiam aliquando Benjamin nomine intelliguntur. Et quidem Judæa in hoc sensu dicitur ad distinctionem Samaria & Galilea, in quas tres partes ab Auctoribus eam terrâ diuidi videmus. Quod si ita est, necessarium est, ut sub Judæa etiam Simeon & Dan comprehendantur, cogente videlicet ratione diuisionis, & ipsa historia consequentia, qua traditur, Simeon & Dan portiones ex Iudæa accepisse, atque ideo etiam separatas veteri nomine censerî. Igitur tota Iudæa, qua est intra Iordanem, erit vel Galilea, vel Samaria, vel in specie Iudæa. Neq; tamen ignoramus hanc diuisionem posteriorem esse illam qua sequitur, sed eò nos traxit nominis etymologia, & alioqui in Nouo Testamento hæc vsitatio est, ut sequens in Veteri. Et sanè B. Hieronymus docet, quod apud historicos Judæa ad Palaestinam, Samaria verò & Galilea ad Phœnicem referatur. Quod quidè, si ratio loci & propinquitatis habeatur, verissimū est, nam & hoc dici potest propter multas in ijs locis gentilium vrbes, Tyrum, Sidonem, & c. perpetua bella, victorias, scisma demum ipsum Israëlis à Judæa, hoc commode defendi posse. Igitur, quid Iudæa sit, & quomodo à reliquis partibus secernatur, ad hunc modum à nobis explicatum sit: nam quod ad fertilitatem & cultum attinet, multum alias partes excelluit, propter ipsam Sacerdotij & regni Metropolim, fidei constantiam, promissiones de Christo, & cat. qua omnibus in promptu sunt. de Samaria & Ga-

P R Æ F A T I O.

Et Galilea speciatim suo loco agemus.

Sequitur altera diuisio, et ut paullo acutius distinguamus origine prima illa, quam vocant, duodecim tribuum. Sed utcumque sit, non tam potest accommodari terræ, quam ipsi populo, qui iuxta tribus diuisus fuit, priusquam illam terram introisset. Nam Ruben, Gad, et dimidia Manasse non funiculis, sed toto Iordane distinguuntur à reliquis: et quod potissimum est, dimidia Manasse, quæ pro se, non video, cui tribui cedant; et cum funiculo nullo modo coniungi possint, propter Iordanem medium, qui pro funiculis est, et illud interuallum, quod ab hac dimidia ad illam est, tum etiam propter praproperam earum duarum et semis tribuum à reliqua Iudæa distractionem, sit omnino, ut hæc neque tum statim primo ingressu, neque etiã postea ita præcisè intelligi possit, nisi simpliciter ad populum absque ullo respectu ad terram ipsam referatur, essent enim tribus tredecim, at nouem. Sed hæc latius persequi, plus fortassis argutiarum quam fructus adferat. Igitur populariter agendo, erit hæc maxime usitata diuisio iuxta duodecim tribus seu sortes, quas usurpauit Iosue iuxta præscriptum Dei. Quod ut rectè intelligamus, accipimus duodecim filios Iacob, demptis mox Leui et Ioseph, quorum locum, Iosu. 12.
Deuter. 7. ut duodenarius impleatur, Ephraim, et Manasse duo Ioseph filij supplebunt. quod an benedictionis rationem habeat in Ioseph, an non, quandoquidem ipse exclusus est, iam nihil interest; certè in Leui benedictio fuit: habuit enim propriam et singularem rationem, extra hanc sortium computationem. Constitutis ad hunc modum tribubus duodecim, diuisio iure statim obtinuit, non item affectu, et certè nunquam plenè præscriptas sortes tribus obtinuerunt. Erunt igitur intellectu semper tribus duodecim, et due Manasses intelligentur quasi subdivisio; ita nihil obstabit, quo minus hanc rationem quibusuis temporibus intelligamus. Nam Iosue semel diuisit in duodecim partes, et iterum Manassè in duas, quod nihil impedit diuisionem primam: diuisit, dico, occisis triginta et uno regibus, ac deletis septem terræ Chanaan gentibus, Amoraïs nempe, Gergesais, Jebusais, Chananaïs, Ethais, Euais et Pherezais. quam terræ diuisionem ita, ut ab Iosue facta est, funiculo distributionis separauit atque seiunxi, et omnes ac singulas vrbes, castra, pagos, vicos, montes, fontes, fluuios, syluas, ceteraque huius S. Terræ loca, quorum in Biblijs, Iosepho, Hieronymo, alijsque fit mentio, suo queque loco collocauit. Neque tamen, quia omnia ea loca diligentissime à me obseruata et notata sunt, quæ apud probatos inueniri potuerunt auctores, existimare quis debet, non plures fuisse huius regionis ciuitates, et vicos, aliaque loca, quàm in tabula delineata sunt; cum longè plures extitisse etiã ipsi auctores, quibus usi sumus, licet non nominet, satis insinuet. Nam Israelitarum dux Iosue, ut ex ipsius libro satis patet, in sortium diuisione eas tantum describit ciuitates, quæ limites erant, et tribuum termini, mediarum autem, quæ multo plures erant, nullam fecit mentionem. Idem testatur, quod singule ciuitates certos sub se habebant pagos, vicos et villas, et Michæas Propheta, Bethlehem in millibus Iuda fuisse scribit. Neque enim alia in toto orbe regio est aut prouincia, quæ tam paruo spacio, tam egregia, magna, et multa complectatur oppida, castra, pagos, quod ut uno semel exemplo comprobemus, adferamus in medium regias ciuitates.

Fuerunt in A S E R: Achsaph, Sidon, Tyrus. BENIAMIN: Bethel, Gabaa, Ierusalem, Iericho. DAN: Accaron, Geth, Lachis. E-

P R Æ F A T I O.

Ciuitates
regiæ.

PRAIM: *Gazer, Samaria, Saron, Taphua.* GAD: *Rabba.* ISACHAR: *Aphec.* IVD A: *Arad, Bezec, Eglon, Hebrō, Lebna, Maceda, Odolla, Taphua.* MANASSE I. *Dor, Galgal, Jezrael, Mageddo, Tanac, Thersa.* MANASSE 2. *Astaroth, Damascus, Edrai, Gessur, Machati, Soba, I heman.* NEPTALIM: *Afor, Cedès, E-mah.* RVBEN: *Esebon, Madian, Petra.* SIMEON: *Dabir, Gerara.* ZABVLON: *Ie-conam, Semeron.* *Vides in tantillo spatio quantum numerum regiarum ciuitatū? quarum paucissimæ fuerunt quas non ille populus occuparit, occisis vel eiectis earum Regibus.*

Urbes Epif-
copales.

Adiciemus eodem ordine ciuitates Episcopales, erit enim hoc cum magno fructu lectoris, & ita melius introspecti poterit huius terræ præstantia. Constituti autem sunt his locis Archiepiscopi, Episcopi, Suffraganei, quorum omnium plenior explicatio è nostris descriptionibus peti debet, nos uno nomine oēs Episcopos, et urbes Episcopales dicimus. IN ASER. *Ptolomais, Sarepta, Sidon, Tyrus.* BENIAMIN: *Ierusalem, Jericho.* DAN: *Azotus, Iamnia, Ioppe.* EPHRAIM: *Lidda, Sichem.* GAD: *Aroer, Rabba.* ISACHAR: *Caiphaz.* IVD A: *Bethlehem, Emaus, Hebron.* MANASSE I: *Antipatris, Betsan, Casarea Dor.* MA-

Ioseph 14.
antiq. II.
Curia.
Maff. in
Chron.

NASSE 2. *Adrach, Bosra, Damascus.* NEPTALIM: *Casarea Philippi, Cedès Neptalim, Neptalim.* RVBEN: *Petra.* SIMEON: *Ascalō, Gaza.* LABVLON: *Legio, Nazareth, Sephoris, Tabor, Tiberias.* *Docet etiam Iosephus Iudæam habuisse quinque curias, quas in quinque locis constituerit Gabinius præfectus Romanorum militum, cum attribuisset singulis, singulas metropoles. Hierosolymam, Gada-*





Toparchiæ.

ram, Amathunta, Hierichum & Sepphorum Galilææ. Enumerat etiam undecim Toparchias idē Iosephus, quasi dicas totidem præfecturas, hoc ordine: Hierosolyma, Lebna, Acrabata, I hamna, Lidda, Ammaus, Pella, Idumæa, Engadda, Herodium, Hiericus. Urbes Refugij & Leuitarum suo loco in Leui exprimemus. Erant & Iudææ partes quedam, ut Gamalitica, Gaulanitis, Bata-

Satrapia.

naea & Trachonitis erant, quæ finitimis præerant, ut Jamnia & Ioppe. Erant satrapia Philistinorum quinque, Accaron, Ascalon, Azotus, Gaza, Geth, & Iogè celeberrimæ Decapoleos urbes: Afor, Betsaida, Betsan, Casarea Philippi, Capharnaum, Cedès Neptalim, Corozaïm, Iotopata, Sephet, Tiberias. & de diuisione quidem totius & partium hæctenus. Igitur annotata à me loca omnia in-

Decapolis.

scripsi nouis & veteribus nominibus, miliaria collocaui quæ una hora commode confici possunt, ut ea quasi generali quadam ratione ad omnes alias hæc nostra descriptio aptari possit. Urbes hæc ferè nota  depinxi: castra hoc modo  pagos aut vicos tali : de quibus autem incertum est, ciuitatesne, an pagi, vel castra fuerint, hoc  modo signaui. Porro quod in generali totius Palestine tabula propter spatij angustiam fieri non potuit, præclariora qualibet loca ut cuius inspicenti statim esset obuia, in singulis singularum tribuum tabulis suis notis insigniui: urbes regias regio diademate, mitra Episcopales, asterisco Leuiticas, signo crucis ciuitates refugij. Curias autem & Toparchias suis capitalibus C. & T. litteris distinxim.

Satrapias denique & ciuitates Decapoleos sui numeri notæ: illas quidē V. hæc X. demonstrant. Nouerit etiã lector, si quãdo al. fl. m. n. o. p. occurrant, legèdum esse alias, fluuius, mons, nunc, olim, post. Aduertat porro desertū illud amplissimū, in quo filij Israel duce Moysè ex Ægypto in promissionis terrã trãseuntes annis quadraginta morati sunt, cum itinere mansionib. eorū, & parte Ægypti simul & finitimas circūquaq. regiones, ne istius solitudinis ac re-

gionum

P R A E F A T I O.

gionum amplitudine tabula supra modum excresceret, angustiore spacio, minorique figura, quam huius tabula proportio exigebat delineatum esse. Urbes exteras, quae tabula commode adijci potuerunt adiecimus circumquaque. Loca vero, quorum origo, nominum varietas, & formae tabula inseri commode non poterant, gestorum etiam memorabilium maximeque insignium epitomen seorsim in hoc commentario dilucida breuitate conscripsi, apposito cuique loco suo nomine, ac litterarum, cyfrarumque numero, qui in qualibet tribu locum designatum indicent, quos ob hoc adiecimus, ut essent paragraphi quidam, iudici videlicet & memoriae lectoris plurimum conducturi, tum vel maxime ad intelligendas historias & loca illa, quibus in charta assignantur. Quin etiam ut fides dictis habeatur, loca originalia, unde haec desumpta sunt, in margine plerumque adscripsi. Distributum est totum opus in partes tres; neque putavi aliam methodo in harum rerum traditione utendum, quam simplicissima, non tantum doctis, sed omnibus omnino, qui aliquem modo scientiae gustum habeant, apertissima. Prima pars complectetur tribus omnes, hoc ordine, cum deserto Pharan: Aser, Benjamin, Dan, Ephraim, Gad, Issachar, Iuda Levi, Manasse 1. Manasse 2. Neptalim, Pharan desertum, Ruben, Simeon, Zabulon. Habebunt tabulam generalem, reliquae omnes etiam speciales, praeterquam Levi. Secunda pars complectetur descriptionem Ierosolyma, cum Tabula. Tertia habebit Miscellanea quaedam locorum. Sequetur postremum index eorum Auctorum, quibus usi sumus. Atque ita, Lector optime, si his lectis & intellectis iterum te ad Biblia conferas, videbis multa, impedita antea, obscura, inuisa, apertissima tibi esse, & quasi manu ad cognitionem eorum omnium deduceres, collatis videlicet tabulis nostris ad ipsam descriptionem, quae tibi per ordinem Alphabeticum, vel per numeros statim aperitur, ne usquam labi vel errare possis, ut hac ocularis inspectio loco multorum & magnorum commentariorum tibi esse debeat. Tu vero, sic hic maxima diligentia, fide, studio, sumptibus, & laboribus immensis nihil pepercisti, ut tibi satis facerem, & quod possum cum paupercula in gazophilacio Christi deponerem, memento mei in precibus tuis apud Dominum, ut mihi pro tot sudoribus & vigilijs, quietem & gloriam tribuat in caelis. Amen.


E P I G R A M M A A V C T O R I S in Palæsthinam.

*Melle fluit terra haec promissa, & lacte redundat:
Ast ea quae sursum est, nectare & ambrosia,*

I N

IN THEATRUM TER- RÆ SANCTÆ, CARMEN

IORDANI LOVFFII, I. C.



*I vacat à curis aliquot, grauiori-
bus, horis,
Hoc videas præsens munere la-
tus opus.*

*Omne tulit punctum commiscens
utile dulci,*

*Ipsius ut melior lectio testis erit.
Si veteris gustare iuuat secreta Moysi,
His velut indicibus multa reiecta patent.
Nam sacra qua celebrant monumenta, ut flumina,
montes,*

*Vrbes, hæc oculis omnia nuda tuis.
Et Pharaonis iter, Iudæ per sicca phalanges,
Singula sunt, positis hic manifesta notis.
Hæc arces Solymæ, montis iuga sancta Sionis,
Scandere ne pigeat quo licet illa pede.*

*Hæc etiam quæ Diua parens Montana petiuit,
Quas q̄, aliàs legitur nobilitasse vias.*

*Hæc venerere lubens etiam vestigia Christi,
Illius & roscos parsa cruore loca.*

*Sed numerum vincunt structi magè carminis vsu,
Quæ subit errantem dum reuocaret ouem.*

*His tamen accepta recreantur luce tabellis,
Quæ præeunt instar lampadis, atq; ducis.*

*Ipsa q̄, nos veterum stimulant exempla fideles,
Quos q̄, monet Christi nominis altus honor:*

*Vertere & in melius fugientes temporis horas,
Atq; pares castis moribus esse viris.*

*Sin secus & nostras maculemus sordibus oras,
Lucida nec poterunt numina ferre diu.*

*Nostris ut Hebræos, gentem magis omnibus unam,
Ipse pater quondam fouerit æthereus.*

*Fit comes, alloquitur, sua per miracula firmat,
Pandit eis imi pectoris alta sui.*

*Protegit, exornat templo rituq; sacrorum,
Et facit, hæc summa est omnibus esse super.
Hos tamen ingratos nimium, nimiumq; rebelles
Deserit, & gentes ad sua dona vocat.*

*Quæ subito Graias, Asiæq; replenerat vrbes,
Munera fortunans sancta, fauore Deus.*

*Quisquis enim certat propria feritate subacta,
Barbara mansucto subdere colla iugo.*

*Rursus ubi pereunt honor & reuerentia diuum,
Hic & opus fidei, fasq; piûmq; iacet:*

*Pestifer irato submissus munere Mahum,
Quod superest recti, viribus, arte, petit.*

*Pellitur ad gelidas Europa deniq; fines
Alma fides, aliquo tempore culta satis.*

*Post (dolor) inuadens proceres aliosq; veteribus,
Facit ut incultum seuerit hostis agrum.*

*Nec mora lathiferis se prodit fertile ramis
Infelix lolium, tritica sana necans.*

*Impia sacrilego moueat quæ secta furore,
Fas & iura premens, quid refricasse iuuat?*

*Exigit innocuos, terrasq; latronibus implet,
Se socians paribus, sceptrâ Iouemq; quatit.*

*Fit iocus (heu) veterum pessundare dogmata, ritus,
Sensa patrum, summo cuncta sacra Deo.*

*Hac igitur secum recolens & fata priorum,
Corripitur iusto (mens nisi leua) metu.*

*Haud poterit mergi (fateor) tua Petre carina,
Nec tamen est stabili sola refixa loco,*

*At modò nos fido placemus pectore numen,
Illius haud fuerit debilitata manus.*

*Quin solet afflictos, etiam commissa luentes,
Robore de celo saepe iuuare. Vale.*



**Index eorum quæ hoc volumine
continentur.**

Prefatio in Palæstinam.

Descriptio Terra Sanctæ iuxta duodecim Tribus Iſraël, cum deserto Pharan, omnia ordine alphabetico, adiectis tabulis geographicis, uniuersali uidelicet totius Terra Sanctæ, & singularum tribuum particularibus, ac deserti quoque Pharan.

Descriptio urbis Hierosolyma, cum sua quoque tabula topographica.

Miscellanea quedam locorum.

Chronicon generale quidem: sed breuissimum ad nostra vsque tempora:

Chronicon alterum, utriusque Testamenti historias, ab ipso mundi initio per Patriarchas, Iudices, Reges, Prophetas, Macchabeos, D. N. IESVM CHRISTVM, & Apostolos deductum ad mortem vsque D. Ioannis Euangelistæ, Apostolorum ultimi, annotatis ubique diligentissimè temporum rationibus.

Catalogus Auctorum, quibus auctor in toto opere vsus est.

Index denique uniuersalis verborum & rerum memorabilium.

